

inde ac si morte naturali obiissent; cum enim monasterium seu ordo religiosus non sit successionis capax, sequitur quod illa bona immediate devolvantur ad proximos cognatos et hæredes ab intestato, cum nemo alius jus ad illa habeat. *Communis.*

(66. Alia ad rem *Vide* verb. BENEFICIATUS, verb. HÆRES, verb. FILII, verb. PARENTES, verb. REGULARES, verb. TESTAMENTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Accidere nonnunquam solet simul mori eos, qui possunt invicem sibi ab intestato succedere, ex. gr. parentes et filios. Interest vero determinare quis prius mortuus habendus sit, idque ut reguletur successio. (68. Ita autem pro diversitate personarum dijudicandum reor quod ascendentes et descendentes.

(69. Si pater cum filio impubere simul mortuus sit, creditur pater supervivisse. L. 9 in fin. ff. *De reb. dub.*; Frinckelthaus., observ. 52, num. 9 et seq.; Zach., *Quæst. medic. legal.*, 5, tit. 12, n. 14.

(70. Sunt qui tenent, id obtinere, etiamsi filius paululum impubertatem excesserit, cum novissima pubertatis ætas nondum omni imbecillitate exempta sit. (71. Tutius vero est subsistere in terminis a jure præscriptis. Fusar., *De fideicommiss. substit.*, quæst. 416, num. 5.

(72. Num idem procedat si pater et filius impubes in diversis locis perierint, et incertum sit quis prior decesserit? Affirmant Menoch., *Præsumpt.*, lib. vi, præsum. 50, num. 33. Negat vero Donell., in *Commentar.* ad l. 9, § 1, ff. *De reb. dub.* (73. Meo iudicio admitti potest Menochii opinio in his aut similibus casibus, quando ambo eidem quidem periculo expositi, sed separati sunt,

SUCCESSOR IN BENEFICIO ECCLESIASTICO.

An et quando teneatur stare locationi factæ ab antecessore. *Vide* verb. LOCATIO, n. 8 et 9.

An et quando teneatur solvere debita an-

SUFFRAGIA.

SUMMARIUM.

1. Suffragium unde dicatur. — 2. Suffragium dupliciter accipitur et assignatur. — 3. Suffragium, de quo hic est sermo, quid sit? — 4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest et assignatur. — 5. Suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest et assignatur. — 6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi et fideles defuncti in purgatorio existentes. — 7. De fide est, dari inter fideles suffragiorum communicationem. — 8. Unde possunt fideles justis se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis quoad culpam jam dimissis. — 9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. — 10. Hinc pium est nec divinæ justitiæ, aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii. — 11. An laudabilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius securæ

vite suæ transferre in animas purgatorii, vel sibi retinere? — 12. Si quis vivens applicet animabus purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilis invalide applicat. — 13. Contraria tamen opinio est vere probabilis. — 14. Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt pro animabus in purgatorio. — 15. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur. — 16. Communio oblata animabus purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjecti sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii. — 17. Restitutio eorum, quæ defunctus abstulit, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt. — 18. Negligentia hæredum in tali restitutione et adimpletione votorum faciendi non obest ejus animæ in purgatorio existenti. — 19. Multi tamen alii sentiunt contrarium. — 20. An et quomodo prosit de-

cessoris. *Vide* verb. SOLUTIO, a num. 11 ad num. 15. *Vide* etiam verb. MELIORAMENTA, num. 32, 33.

puta si ambo in eodem mari et eodem tempore naufragium patiantur, sed tamen diversis navibus vehantur, vel etiam si urbe universim incensa in diversis ædibus degant, aut diversis quidem periculis, sed eodem tempore affligantur. (74. Alias ubi ambobus in diversis locis constituta, talia pericula non concurrant, prius dicendum erit patrem juxta ordinem mortalitatis naturalem citius esse mortuum. Confer Mascard., *De probat.*, conclus. 1344, n. 8 et 16.

(75. Contra vero si cum filio pubere pariter decedat pater, supervivisse filius creditur. L. 9, § 4, ff. *De reb. dub.*, idque etiamsi in bello pereant. Charond., lib. 1, *Verisimil.*, c. 31, n. 4.

(76. Quod dictum est de patre et filio simul morientibus, locum etiam sibi vindicat quoad patrem et filiam pariter simul morientes. Eeked., in *Commentar. ad titul.*, ff. *De reb. dub.*, n. 4, tum quoad matrem cum filiis aut filialibus decedentem.

(77. Quid autem si femina parturiens unacum partu moriatur, num femina, an partus prior mortuus censebitur? *Vide* distinctiones Barry *De success.*, lib. xvii, tit. 12, n. 24; Peregrin., *De fideicommiss.*, art. 43, n. 26.

(78. Hactenus de ascendentes et descendentes simul morientibus. Quod attinet ad collaterales simul obeuntes, distinguendi pariter essent plures casus. At de fratre et sorore simul morientibus, vide Carpov., part. 1, decis. 19, n. 2 et sequent; de fratribus, l. 18, ff. *De reb. dub.*; de pupillo cum fratre substituto, Mejer, in *Colleg. Argentorat.*, ad lib. xxxiv, tit. 5, thes. 5, n. 7, ab Esbach. ad Carpov., part. iii, c. 17, defin. 13; de duabus sororibus, Fulgos., consil. 22, n. 54 et sequent.; Grat., lib. ii, respons. 6, n. 26.

functis usus cereorum ardentium. — 21. An et quomodo eis prosit aspersio aquæ benedictæ. — 22. An et quomodo eis prosit incensatio thuris. — 23. An et quomodo eis prosit campanarum pulsus. — 24. An et quomodo eis prosit sepultura in loco sacro? — 25. Ut suffragium habeat suum effectum, tres conditiones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur, et assignatur. — 26. Item ut suffragium suum sortiatur effectum, tres conditiones requiruntur etiam ex parte illud offerentis, et assignatur. — 27. Generales et provinciales ordinum regularium

(1. Suffragium dicitur a *suffragando* seu auxiliando. Sic ex S. Thoma, in 4, dist. 45; notat Silvester, in *Summa*, verb. *Suffragium*, n. 1. (2. Suffragium dupliciter accipitur: primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet, et de suffragio sic accepto satis constat ex dictis sub verb. ELECTIO; secundo, pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. (3. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri præbet ad consequendam a Deo pœnæ temporalis remissionem.

(4. Suffragium sic sumptum tripliciter contingere potest: primo, ex opere operato per sacrificium missæ; secundo, per indulgentias; tertio, ex opere operantis, nempe per proprias operationes bonas ac satisfactorias, ut orationes, jejunia, elemosynæ, et hujusmodi. De suffragio primo modo satis constat sub verb. MISSA; de suffragio secundo modo satis patet sub verb. INDULGENTIA et JUBILEUM; et de suffragio tertio modo instituitur hic discursus.

(5. Unde hujusmodi suffragium ex opere operantis duobus modis contingere potest; primo per modum satisfactionis, prout unus offert pro alio valorem satisfactionis, qui est in operibus bonis, ad satisfaciendum pro pœna temporalis; secundo per modum impetrationis, aut meriti de congruo, prout unus suis precibus, aut orationibus impetrat a Deo, ut alteri concedat auxilium ad resurgendum a culpa, et ad obtinendam remissionem debitæ temporalis pœnæ. Sic in re doctores communiter post S. Thomam in 4, distinct. 45, qu. 2, art. 1.

(6. Personæ fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantum generis, nempe fideles vivi, et fideles defuncti in purgatorio existentes; beati enim in paradiso nullis indigent suffragiis; damnati autem in inferno horum sunt penitus incapaces.

(7. Certum igitur de fide est dari inter fideles suffragiorum communicationem, id est communicationem bonorum operum, quibus ipsi fideles se mutuo juvare, ac sibi invicem suffragari possunt, id enim habetur clarissime in Symbolo apostolorum per illa verba *Credo sanctorum communionem*; cujus articuli verus sensus juxta communem catholicorum theologorum est, quod detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos, quibus sibi invi-

possunt extra religionem specialibus suis benefactoribus communicare et applicare omnia bona spiritualia seu suffragia sui ordinis, sive omnium religiosorum sibi subditorum. — 28. Dieta communicatio omnium bonorum operum seu suffragiorum prodest ipsis primo per modum cujusdam meriti de congruo. — 29. Item per modum impetrationis. — 30. Item per modum satisfactionis. — 31. Et tandem prodest illis, quia regulares possunt unica missa per modum suffragii eorum animam liberare a pœnis purgatorii.

cem suffragari possunt; homines enim justis sunt membra unius mystici corporis Ecclesiæ sub uno capite Christo; unde ad *Ephesios* iv comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo sicuti unum membrum sanum alteri præbet auxilium, ita etiam in mystico corpore Ecclesiæ unus homo justus alteri auxilium præstare potest per bona opera; et hoc etiam expresse colligitur ex illo Psalmistæ *Ps. cxviii*, 63, ibi: *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua*, et ex illo ad *Romanos*, xv, 30, ibi: *Obsecro vos, fratres, per Dominum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, et ex illo *Jacobi* v, 16: *Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet oratio justis assidua.*

(8. Unde possunt fideles justis se invicem vivos juvare per suffragia ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, quoad culpam jam dimissis. Communis ac certa inter Catholicos, contra hæreticos; idque expresse docet catechismus S. Pii V, in fine, *De sacramento pœnitentiæ*, ubi sic expresse dicit: « In eo summa Dei bonitas, et clementia maximis laudibus, et gratiarum actionibus prædicanda est; qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit. »

(9. Fideles possunt suffragari et juvare suis bonis operibus etiam defunctos quoad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ. *Est de fide*, et expresse ex *II Machab.* cap. xii, ibi: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Et hæc veritas definita est in pluribus conciliis, quæ refert Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 23, 1-5, art. 1, n. 7, et expresse in concil. *Trid.* sess. xxv, in decreto de purgatorio, ibi: « Cum Ecclesia catholica Spiritu sancto edocta e sacris literis et antiqua Patrum traditione in sacris conciliis, et novissime in hac Oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. »

(10. Hinc omnino pium esse, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium satisfactiones a nobis offerri pro animabus purgatorii recte ex Scriptura et PP., et sensu universalis Ecclesiæ ostendit contra aliquos Raynaudus, in *Heter.*, tract. 15, part. ii, sect. 1, punct. 1 et seq., et iterum punct. 10 et 11, ubi contraria argumenta solvit, et sic tenent etiam La Croix, lib. vi, part. ii, num. 1336, Kazenberger in *Supplement.*

Theol. sacramental. Patris, Sporer, Append. de suffragiis, § 2, n. 246, et alii.

(11. An autem laudabilius sit satisfactiones omnium suorum operum totius seculi vitæ suæ transferre in animas purgatorii, vel sibi retinere? Variant doctores, Raynaudus enim, *loc. cit.*, sect. 2, punct. 2; Arriaga, d. 40, sect. 2, cum quibus inclinatur La Croix, *loc. cit.*, n. 1336, et alii docent id esse minus laudabile et fore prodigaliter venialiter malam contra charitatem propriam et amorem Deo debitum, quia est velle Deum prius et potius laudari ab alio quam a se; quod videtur esse hominis minus amantis Deum. Econtra autem Hautinus in *Patr. defunct.*, a n. 627, citans pro se S. Thomam, Suarez et Lugo, fuse contendit id esse laudabilius, quia per illum actum charitatis plus meretur gratiæ, et consequenter gloriæ, sibi et Deo per totam æternitatem: quod et admittunt, ut revera admittendum est, etiam auctores primæ sententiæ de eo, qui multo reatu onustus morti proximus applicat alteri seu animabus purgatorii omnes satisfactiones suas, advertens se per id facere actum, qui merito et dignitate sua damnum illud compenset, nam ex charitate transferens, auget suam gratiam, qui est fructus æternus longe pretiosior.

(12. Si quis vivens applicet animabus purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas, probabilius invalide applicat. Raynaudus, *loc. cit.*; La Croix, *loc. cit.*, n. 1334; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 246, et alii; et ratio est, quia applicatio operis non est in potestate illius pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis; offerens autem, qui suo tempore offeret pro tali defuncto, non offerret ad dicendam talis defuncti intentionem, sed offerret, ut ei prosit; ideoque si ei prodesse poterit, proderit, si autem prodesse non poterit, et offerens non substituat aliam intentionem a Deo distribuentur secundum interpretativam intentionem et voluntatem facientis et offerentis opus ut in similibus cum S. Thoma tenent Pasqualig. q. 86. Raynaudus, *loco cit.*, p. 1, n. 32 et alii. Quamvis Kazenberger, *loc. cit.*, et alii apud La Croix, *loc. cit.*, n. 1330, dicant, quod tunc vel proderunt ipsi operanti vel reponentur in communem thesaurum Ecclesiæ; Hautinus autem in *Patr. defunct.*, a n. 627, citans pro se S. Thomam, Suarez et Lugo, ut refert La Croix, lib. II, n. 179, fuse contendit, nedum id valide fieri, sed etiam laudabilius esse, quia per actum illum charitatis plus meretur gratiæ et consequenter gloriæ, sibi et Deo per totam æternitatem. (13. Quod tamen Arriaga, d. 40, sect. 2, concludit minus esse laudabile, quia est velle Deum potius laudari ab alio quam a se, quod videtur esse hominis minus amantis Deum.

(14. Suffragia necdum exhibita, etiamsi certo sint exhibenda, nunc non prosunt animabus in purgatorio. Sic communis est certa doctorum cum Raynaudo, *loco citato*, part. III, n. 43. La Croix, *loc. cit.*, n. 1330,

et Kazenberger, *loc. cit.*, n. 247. Nec hoc indiget probatione.

(15. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna copia suffragiorum pro illis offeratur, quia solum illis prosunt, si sint actu exhibita, non autem, si sint, quamvis certo, exhibenda. Per accidens tamen potest esse laudabilius fundare missam perpetuam, cum possit esse magis ad Dei gloriam, ut populus in perpetuum certo die et loco missam pro commoditate habeat, Raynaudus, *loc. cit.*, a n. 47; La Croix, *loc. cit.*, a n. 1341, et alii passim.

(16. Communio oblata pro animabus purgatorii de se non prodest ipsis, nisi in quantum actus adjuncti sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii. Sic fuse demonstrat Raynaudus, tom. VI, opuscul. 6, *De communione pro mortuis*, et sequitur La Croix, *loc. cit.*, n. 1344, et alii.

(17. Restitutio eorum, quæ defunctus abstulerat, aut adimpletio votorum, quæ non expleverat, quamvis per accidens prodesse possint ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil conferunt ad liberationem animæ. Sic S. Thomas, Navarr., Sotus, Bellarminus, Suarez, Molina, Valentia, Raynaudus citati et secuti a Lacroix, *loc. cit.*, num. 1345, ubi dicit hanc conclusionem esse contra paucos; et ratio est, quia vel defunctus ante mortem fecit quod potuit, et non ideo diutius patietur; vel id neglexit, et ideo patietur, quantum promerita est ipsius negligentia, non obstante, quod ejus hæredes suis dictis omissis obligationibus satisficiant. Arg. c. *Mora sua* 25, de regul. juris in 6, et l. in condemnatione 173; § 2, ff. De regul. jur.

(18. Sic econtra negligentia hæredum in tali restitutione et adimpletione votorum faciendâ non obest ejus animæ in purgatorio existenti, quia hæredum negligentia non est culpa ad ipsum pertinens. Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, textu expresso in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus; cum peccata suos debeant tenere auctores, cap. *Quæsiuit* 2, De his quæ fiunt a majori parte capituli, l. *Sancimus* 22, cod. De pœnis; nec debeat aliquis alterius odio prægravari, cap. *Non debet* 28, De regulis juris in 6, et l. *Non debet* 74, ff. de regulis juris. Sic doctores citati n. antecedent.

(19. Quamvis tamen varii alii apud Mastrium, in *Theologia moral.*, disputat. 24, quæst. 3, articul. 3, num. 69, affirmant, dilationem restitutionis a testatore relicte obesse ejus animæ in purgatorio existenti, et esse causam longioris dilationis in illis pœnis; unde S. Brigitta, lib. VI *Revelationum*, capit. 66, affirmat, tandiu animam cruciari in purgatorio, donec restituatur ablatum, et huic opinioni favent revelationes quædam animarum defunctorum, quæ vivis apparuerunt, et ab hæredibus suorum debitorum restitutionem fieri petierunt, ut a purgatorio liberarentur.

(20. Usus cereorum ardentium prodest defunctis in quantum conjuncti et amici

nomine defuncti protestantur, se confiteri Christum esse verum lumen, et ex ejus meritis sperare misericordiam. Raynaudus, *loc. cit.*, sect. 3, punct. 11, qu. 5. La Croix, *loc. cit.*, n. 1347. Kazenberger, *loc. cit.*, num. 270, et alii.

(21. Aspersio aquæ benedictæ prodest defunctis propter preces Ecclesiæ, quia benedicendo petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum. Raynaudus, *loc. cit.*, qu. 5; La Croix, *loc. cit.*, n. 1347; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 250, et alii.

(22. Incensatio thuris prodest, in quantum orat Ecclesiæ, ut anima pascatur odore cœlesti. La Croix, *loc. cit.*, n. 1347; Kazenberger, *loco cit.*, n. 250; Raynaudus, *loc. cit.*, et alii.

(23. Campanarum pulsus non juvat defunctis, nisi indirecte, quatenus movet audientes ad orandum, seu suffragia offerendum pro defuncto. Raynaudus, *loc. cit.*, punct. 7. La Croix, *loc. cit.*, n. 1346; Kazenberger, *loc. cit.*, 247, et alii.

(24. Sepultura in loco sacro prodest defunctis, partim quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos, et partim quia cum fideles frequentius illuc conveniant, frequentius excitantur ad orandum pro ipsis. Rayn. *loc. cit.*, punct. 12, q. 3; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 250; La Croix, *loc. cit.*, n. 1347, et alii; argum. cap. *Fraternitatem* 3, De sepult.

(25. Ut suffragium habeat suum effectum, tres condiciones requiruntur in eo, pro quo suffragium offertur: prima, quod indigeat suffragio, id est sit debitor alicujus pœnæ temporalis, quia ubi nulla restat talis pœna solvenda, nullum etiam requiritur suffragium pro ejus exsolutione; secunda, quod sit in statu gratiæ, quia qui est in peccato mortali, utpote membrum mortuum, non potest recipere subsidium seu suffragium ab aliis membris vivis; tertia, quod peccata, pro quibus satisfactio seu suffragium exhibetur, jam sint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna antequam sit remissa culpa, pro qua est pœna promerita. *Communis.*

(26. Item, ut suffragium suum sortiatur effectum, tres condiciones requiruntur etiam ex parte illud offerentis. Prima, quod sit in statu gratiæ, quia existens in peccato mortali indignus est remissione culpæ et pœnæ, adeoque impotens est ad obtinendam aliis remissionem pœnæ temporalis per suffragia ex opere operantis, ac nomine proprio exhibita; licet tamen id possit per suffragia ex opere operato, ac nomine, et in persona Ecclesiæ oblata, ut missarum sacrificia, indulgentiæ et divina officia in persona Ecclesiæ a sacerdote oblata, quæ suum sortiuntur suffragandi effectum, non obstante offerentis peccato. Secunda, quod offerens habeat intentionem offerendi et applicandi suffragium pro eo, cui prodesse intendit, et talis intentio seu applicatio opus bonum præcedat et non subsequatur. Tertia, quod suffragium sit opus, quod ex se vim habeat satisfaciendi, id est habeat valorem et pre-

tium ad solvendum debitum illius, pro quo offertur, ut sunt oratio, jejunium et eleemosyna, sub quibus omnes aliæ operationes pœnales et satisfactoriæ comprehenduntur. Sic doctores communiter.

(27. Generales et provinciales ordinum Regularium possunt extra religionem specialibus suis benefactoribus, sive sæcularibus, sive ecclesiasticis communicare et applicare omnia bona spiritualia seu suffragia sui ordinis, sive omnium religiosorum sibi subditorum, ex speciali privilegio ab Urbano V concesso generalibus et provincialibus ordinis Minorum, prout habetur in *Monumentis ordinis secundæ impressionis* fol. 261, et in *Compendio privilegiorum*, verb. *Indulgentiæ quoad sæculares* quarto n. 6, nempe: « Ut generales et provinciales totius ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia benefactoribus ordinis. » Et id communiter fieri solet concedendo eis litteras, quæ vocant *filiantias*, seu *litteras filiationis*, vel *fraternitatis*, aut *suffragia ordinis*.

(28. Dicta communicatio omnium bonorum operum, seu suffragiorum ordinis per hujusmodi *filiantias* seu *litteras filiationis* vel *fraternitatis* a regularibus prælatis specialibus suæ religionis benefactoribus concessas multipliciter ipsis prodest; in primis quidem per modum cujusdam meriti de congruo, cum omnino congruum sit, quod ob multiplicia merita religionis, in cujus *filiationem* seu *fraternitatem* dicti ejusdem speciales benefactores sunt assumpti, Deus peculiari auxilio et protectione eos fovæat, defendat atque custodiat; ratio enim amicitia postulat, ut Deus propter amicos suos specialia beneficia conferat etiam aliis, qui amicitia et fraternitate illis conjuncti sunt; propter enim decem justos, si ibi inventi fuissent, pepercisset Dominus Sodomæ et Gomorrhæ, ac finitimis civitatibus; *Genes. xviii.*

(29. Item talis communicatio prodest illis per modum impetrationis, in quantum assidue orationes, pia et religiosa exercitia, divinaque officia, quæ diu noctuque in religione peraguntur, possunt de congruo mereri et impetrare, ut Deus confederatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus a peccatis præserventur, et si in ipsis sint, ab eis avocentur, atque ab omnibus animæ et corporis malis liberentur.

(30. Item talis communicatio prodest illis per modum satisfactionis, quia in religiosis ordinibus ultra plurimas missas multiplicesque preces et continua divina officia, peraguntur propemodum infinita opera pœnalia atque satisfactoria, ut jejuniorum, vigiliarum, abstinentiarum, pœnitentiarum, disciplinarum, mortificationum, peregrinationum, prædicationum, lectionum, observantiarum, laborum, devotionum, et hujusmodi, quæ applicantur pro fratribus benefactoribus ipsisque confederatis, tam vivis quam defunctis.

(31. Tandem talis communicatio prodest

illis, quia regulares in casu mortis alicujus sui specialis benefactoris habentis dictam *filiantiam*, seu suffragia ordinis, possunt unica missa per modum suffragii ipsius animam liberare a pœnis purgatorii ex concessione Clementis VIII facta minimis, et consequenter omnibus aliis communicantibus

SUPERBIA.

SUMMARIUM.

1. Superbia unde dicatur. — 2. Superbia quid sit. — 3. Superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta, est peccatum mortale. — 4. Item peccatum mortale est superbia, cum quis existimat habere ex se et non a Deo bona gratiæ, naturæ et fortunæ. — 5. Item peccatum mortale est superbia, cum quis cognoscit quidem se a Deo talia bona habere, sed ex suo merito et justitia, et non ex liberalitate ipsius Dei. — 6. Item peccatum mortale est superbia, quoties est conjuncta cum gravi

(1. Superbia ut sic dicitur ex eo quod quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus inordinate appetat ipse excellere vel eminere *super alios*, ac velut *alios superare*; superbia enim sic dicitur a *super* et *ire*, quia superbus super alios et supra suam mensuram ire vult. (2. Unde superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios. Ita in re Communis.

(3. Superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta, est qua quis inordinate ita excellere, seu eminere appetit super omnes, ut nec ipsi Deo, nec superioribus eorumque legibus subjici velit, et est peccatum mortale et diabolicum pœna æterna inferni meritissimum; unde de sic superbo Luciferò *Isaiæ* cap. xiv, 13, 14 habetur: *Detracta est ad inferos superbia tua... qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exultabo solum meum... ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

(4. Item peccatum mortale est superbia, cum quis existimat habere ex se et non a Deo bona gratiæ, naturæ et fortunæ, juxta illud superbiorum relatorum *Deuteronomii* cap. xxxii, n. 27, ibi: *Ne forte superbirent et dicerent: manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia; unde Apostolus I ad Cor. c. iv, 7 contra similem superbium sic invehit: Quid habes, quod non accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?*

(5. Item peccatum mortale est superbia, cum quis cognoscit quidem, se a Deo talia bona habere; sed ex suo merito et justitia, et non ex liberalitate Dei. *Communis.*

(6. Item peccatum mortale est superbia, quoties est conjuncta cum gravi contemptu et notabili damno proximi, ut si quis superbiendo de sua excellentia, valde aspernetur et reprobet tanquam vilem proximi statum et conditionem, et se extollendo super alios in aliqua professione, ut legistæ, medici, concionatoris et hujusmodi, injustum et grave damnum aliis causet. *Communis.*

cum eis, quæ habetur tom. II *Privilegiorum ejusdem ordinis*, constit. 10 dicti Clementis VIII. Et referunt Peyrinus, ad dictam constitutionem n. 2; Bassæus, verb. *Suffragium*, n. 2; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tractat. 12, qu. 7, n. 88, et alii passim.

contemptu et notabili damno proximi. — 7. Inter alias solitas assignari filias superbiæ, tres sunt præcipuæ, nempe vana gloria, præsumptio et ambitio. — 8. Quid sit vana gloria, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 9. Quid sit præsumptio, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 10. Quid sit ambitio, an et quando sit peccatum veniale, vel mortale. — 11. Superbia imperfecta et late accepta, quæ proprio nomine dicitur *philantia*, per se et ex suo genere est tantum peccatum veniale.

(7. Quamvis plures soleant assignari filias superbiæ, ut jactantia, ostentatio, hypocrisis, inobedientia, pertinacia, discordia, curiositas; tres tamen sunt ejus filias præcipuæ, nempe vana gloria, præsumptio et ambitio. Sic doctores communiter.

(8. *Vana gloria* est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu humanæ laudis et gloriæ. Et hæc ex genere suo et per se est solum peccatum veniale: quamvis possit fieri peccatum mortale per accidens ratione materiæ, si nimirum gloriatio fiat de re mortaliter mala, vel ratione notabilis damni proximo illati. *Communis.*

(9. *Præsumptio* est appetitus inordinatus aggradiendi aliquid supra proprias vires; unde ille dicitur præsumptuosus, qui tentat dicere vel facere aliquid supra id quod potest. Per se et ex genere suo est tantum peccatum veniale; potest tamen fieri mortale per accidens, si inde immineat periculum gravis injuriæ Dei, notabilis damni proximi, aut salutis propriæ; sicque graviter peccat, qui præsumit quærere et exercere officium judicis, consiliiarii, medici, confessarii, lectoris, magistri et hujusmodi sine sufficienti scientia.

(10. *Ambitio* est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus, vel dignitatibus non debitis, vel debito majoribus; per se et ex genere suo est solum peccatum veniale; at vero potest fieri peccatum mortale per accidens vel ratione materiæ, ut si quis ambiat dignitatem, qua notabiliter sit indignus; vel ratione circumstantiarum, ut si modo, vel medio mortaliter malo, puta per subornationem, per simoniam, et hujusmodi quærat quis fieri superior seu prælatus; vel ratione damni proximo illati, ut cum quis cum alterius notabili damno et gravi injuria vult officium seu beneficium obtinere. *Communis.*

(11. Unde de primo ad ultimum, quamvis superbia completa et consummata, seu in suo genere perfecta et proprie capta, sit peccatum mortale, ut patet ex dictis *supra*

n. 2 et seq. Tamen superbia imperfecta et late accepta, qua quis non renuens subjici quibus debet, in suo duntaxat interno affectu sese magnificat, est tantum veniale peccatum, quia sine Dei contemptu et proximi notabili respectu, aut damno se plus justo efferre non est adeo gravis inordinatio; adeoque per se et ex suo genere

SUPERIOR.

An valeat consuetudo tribuens locum digniorem inferiori præ superiore?

Novus articulus editorum Casinensium.

(1. Illud in confesso est, apud DD. non valere consuetudinem tribuentem locum digniorem inferiori, quippe perverteretur ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, si inferior superiori præcederet; adeoque consuetudo ejusmodi tanquam *corruptela* minime attendenda venit, etsi per antiquissimum temporis spatium invaluisse jactaretur.

(2. Unde ait Riccius: « Respondetur, cum præfata consuetudo (tribuens locum digniorem inferiori) sit contra jus, quia inferior præcedit superiorem, propterea censenda est corruptela, ideo rejicienda. » *Prax. resolut. for. eccles. part. 1, resolut. 563.*

(3. Pari modo Ventriglia hæc habet: « Observa, quod consuetudo, quæ minus dignum præfert, non est ferenda, tanquam invalida et irrationabilis, cum omni juri et rationi repugnet. » *Prax. for. eccles., part. 1, adnotat. 11, § unic. n. 12.*

(4. Id ipsum Panimolle tradit in hæc verba: « Consuetudo, ut minus dignus digniori præferatur, tanquam irrationabilis et corruptela non tenet, non obstante, quod ab immemorabili tempore observata fuerit. » *For. Eccles. Decis. 1, adnotat. 2, n. 4.*

(5. Hinc prono alveo fluit, canonicos, non modo cathedralis, sed etiam collegiatae, quacunque consuetudine non obstante, parochis, etiam matricis ecclesiæ præcedere debere (81): « Perverteretur (verba sunt clar. Antonelli) ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, si inferior præcederet superiori, et ideo hujusmodi consuetudo potius corruptela censenda est... Ex quo inferitur quod... canonici ecclesiæ collegiatae parochi præcedunt, quia ecclesiæ collegiata est dignior quacunque alia inferiori ecclesia, etiam parochiali. » *De regim. eccles. episcop., lib. III, cap. 18, § 2, n. 12 et 19.*

(6. Audiamus quoque celeb. Ceccoperium ita in hac re disserentem: « Primum gradum (in ordine hierarchico) constituunt canonici cathedralis; secundum gradum faciunt collegiatarum insignium canonici... tertii et intimi gradus sunt curati, capellani et cæteri inferiores de clero. » *Lib. I Lucubrat. canonic., tit. 13, n. 4.* Additque, *ibidem*, n. 14: « In functionibus ecclesiasticis, si jam ab omnibus canonicis concessa fuisset præcedentia capellanis et rectoribus parochialiam, possunt moderni canonici recupe-

(81) Quippe collegiata ecclesia dignior est ecclesiæ parochiali. Riccius, *Collect. decis.*, p. VI,

non excedit peccatum veniale, ut tradunt passim doctores; et talis superbia late dicta, quæ proprio nomine dicitur *philantia*, quamque Scotus in 2, dist. 6, qu. 2, vocat luxuriam quamdam spiritualem, consistit in immoderata propriæ perfectionis complacentia nullo habito ad alios respectu.

rare jus suum, quod assignat honorabiliorem locum canonicis, uti *majoribus*, non *attenta consuetudine* in contrarium deducta, qua caret ratione, et non posset induci, nisi ex quadam ambitione... Ratio rationis videtur esse, quia tali consuetudine perverteretur ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, quam canonici de per se faciunt... et consuetudo attenditur, ubi non datur diversitas in ordine hierarchico. »

(7. Hucusque tradita firmantur ex decreto S. Rit. congregat. edito pro canonicis presbyteris et aliis in diaconatu vel subdiaconatu constitutis, quo (decreto) postremo hosce prioribus, nempe canonicis presbyteris locum digniorem cedere debere, *consuetudine non obstante*, statutum est, hoc sane pacto: « Sacra congregatio Rituum declaravit canonicos, qui in ordine presbyterali constituti, canonicatum presbyteralem obtinuerint, in choro, capitulo, processionibus, et sessionibus præcedere debere canonicos in diaconatu vel subdiaconatu constitutos, canonicatus diaconales aut subdiaconales obtinentes, non obstante consuetudine Ecclesiæ, quæ tanquam *abusiva atque improbata*, non debet admitti. » Apud Riccius cit. *Prax. resolut.*, part. 1, resolut. 563, n. 3.

(8. Neque his adversantur, quæ sub verb. *Præcedentia* ad calcem tom. VI, in serie Decretorum, adnotavimus, nempe in materia præcedentiæ attendendam esse consuetudinem, licet esset contra jus. Siquidem ibi dicta intelligenda sunt, quando agitur *inter aequales*, ita ut tunc cæteris paribus, militet consuetudo talis qualis contra jus; non vero in casu, de quo nunc sermo est, *de inferiori scilicet relate ad digniorem superioremque*, quippe cum in hac specie ordo hierarchicus pessumdetur, consuetudo nequaquam attendi debet.

Hic non prætermittendam, sub v. *PRÆCEDENTIA* in *additionibus* ex aliena manu, num. 90 et 91, adnotatum fuisse prout sequitur: « Gravis est quæstio, an sit servanda consuetudo, per quam minus dignus præferatur magis digno?... Rota processit hac cum distinctione, ut si agatur de præferendo minus digno in omnibus actibus, stari minime debeat huic consuetudini; sin vero res sit de prælatione minus digni magis digno in aliquibus tantummodo acti-

collect. 2350; Barbosa, *De canonic.*, cap. 18, num. 65.